

nullius subadvocati heredes quicquam iuris in advocatia sibi vindicare presumant, nisi per¹ voluntatem abbatis et fratrum vicem imperatoris obtineant, et si inutiles inventi fuerint, a regimine advocatie desistant. Hoc quoque nostre institutionis edictum omnibus successoribus nostris in exemplum relinquentes ratum esse cupimus et ab omnibus inviolabiliter observari. Sicut autem a fundatore eiusdem ecclesie marchione Wicperto constitutum est, ita es nos statuimus, ut singulis annis sancte Romane ecclesie aureus nummus in signum libertatis inde persolvatur et nulla inquietatione de cetero locus ille molestetur. Statuimus quoque, ut nostra auctoritate fratres eiusdem loci monetam theoloneum et forum in eadem civitate, sicut a tempore felicis memorie supradicti avi² nostri F(riderici) imperatoris possiderunt, perpetuo iure possideant et in preiudicium monete, theolonei et fori eiusdem civitatis nullum aliud forum theoloneum vel moneta per miliare instituantur, nisi quod fuit tempore memorati avi et patris nostri et omnia sue dignitatis iura cum utilitate, quam hactenus habuerunt vel imposterum conquirere poterunt, in silvis pascuis pratis rivis molendinis seu quibuslibet aliis usibus nichilominus obtineant. Et si quis ministerialium nostrorum de hereditate sua quicquam illuc conferre voluerit, licentiam habeat nostra fretus auctoritate. Ut autem hec in perpetuum rata permaneant, presentem paginam inde conscriptam sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Si quis autem contra huiusmodi statuti nostri decretum attemptare presumpserit decem marcas auri, quinque camere nostre et quinque eidem ecclesie persolvat. Huius rei testes sunt: Engelhardus Nuenburgensis episcopus, Othekarus rex Bohemie, Hermannus lantgravius Turingie, Otto dux de Meran, Vladislaus marchio Moravie, Albertus (f. 448') comes de Ebirstein, Adolphus comes de Scowinburgh, Theobaldus marchio de Hoinborch³, Burchardus comes de Lutcenborg, Albertus comes de Cletinborg, Albertus burgravius de Aldenburg, Guntzelinus de Crosigk⁴, Heinricus iunior de Wida⁵, Ricardus camerarius regis, Hildebrandus marschalcus de Reberch, Heinricus de Rodinborg, Conradus de Werd, Hermannus cappellanus de Mulhusen, magister Nicolaus subdiaconus domini pape et sancte crucis legatus, Hermannus de Schomburgh et alii quam plures.

Datum apud Egram VI. nonas martii anno dominice incarnationis MCCXIII, indictione III.

Wie eine Vergleichung der Datierung mit den zeitlich nächststehenden BF. 776 ff. zeigt, muss die vorliegende Urkunde dem Jahr 1215 zugetheilt werden, was auch dem Itinerar und der Zeugenliste entspricht. Die Handlung, die durch die Urkunde verbrieft wird, dürfte wohl nach Altenburg zu verlegen sein, von wo der König über Halle kommt. Ob die zahlreichen angeführten Zeugen Handlungs- oder Beurkundungszeugen, lässt sich nicht wohl feststellen. Einige der angeführten

1) cod.: 'insuper'. 2) cod.: 'anni'. 3) sc. 'Hohinborch'. 4) cod.: 'Crohuth'. 5) cod.: 'Weda'.